

regulariter in ecclesia vel sacristia esse debet. Attamen, ubi domus parochi multum ab ecclesia distat, licet s. oleum domi servare in loco decenti et tuto, ut respondit S. C. R. 16 Dec. 1826. (Coll. S. R. n. 2650) Idem ergo ad tempus licebit, durante alia causa rationabili, puta quo citius noctu ad infirmum accurri possit. (Ball. P. n. 48)

CAPUT III.

DE SUBJECTO EXTREMAE UNCTIONIS.

422. I. Extrema unctio nec licite, nec valide conferri potest, nisi iis in quibus concurrunt sequentes condiciones :

1^o Ut sint *baptizati*. (n. 127, V)

2^o Ut *actualia peccata* committere potuerint : iis enim qui nulla hujusmodi peccata commiserint, non congruit hujus sacramenti forma. Quare illicite et invalide conferretur infantibus et amentibus a natiuitate. In dubio de usu rationis conferendum est sub condicione. (S. Alph. n. 719)

3^o Ut sint *infirmi*. Liqueat ex verbis S. Jacobi (l. c.) : "Infirmatur quis in vobis." Igitur non sufficit ut quis in periculo mortis versetur et etiam Viaticum recipere possit, ex. gr. mox capite plectendus; sed necesse est ut istud periculum oriatur ex infirmitate corporis, vid. ex morbo vel ex causa quae morbo aequiparari soleat, puta ex vulnere, partu difficili, senectute. Hinc sequitur perperam conferri extremam unctionem iis qui periculosam operationem chirurgicam subituri sint, nisi jam antea ex infirmitate periclitentur. (D'Annib. III. n. 417. nota 18)

4^o Ut *de eorum morte timeatur*. (Eugen. IV in Decr. pro Armenis) Is timor procul dubio intellegendus est qui sit rationabilis seu gravi motivo nixus : talis autem non erit si dubium mere negativum concipietur, sed si *probabiliter* iudicabitur, sive a medico, sive ab alio experientia edocto, periculum mortis e praesenti morbo imminere. Hoc igitur iudicium requiritur et sufficit, ut extrema unctio conferri possit : ac sane optandum et conandum est, ut, nisi specialis ratio differendi obstat, majus et certius periculum non exspectetur. Attamen, ut advertit S. Alph. (n. 714), hic casus in quo dari *potest* extrema unctio probe discernendus est ab eo in quo dari *debet*. Is autem contingit quando jam moraliter certum est mortem infirmo imminere. Sic. Trid. (Sess. 14. de Extr. Unct. c. 3), loquens de obligatione hujus sacramenti administrandi, indicat eos quibus jam differri nequeat, simul innuens esse alios quibus dari possit : "Declaratur

etiam esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero *praesertim* qui tam periculose decumbunt ut in exitu vitae constituti videantur. „ Numquam autem exspectandum est ultimum tempus vitae, quo aegrotus, jam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat : id enim prorsus contrarium est naturae hujus sacramenti, siquidem jam sanitati corporis recuperandae non proderit (n. 419), spirituales vero fructus multo minores producet quam si homo sui compos illud recepisset. Propterea censet S. Alph. (l. c.) graviter peccare parochos, qui extremum hoc tempus exspectant antequam infirmum inungant : quod praesertim verum erit de iis qui saepius nectant culpabilem moram, ex qua certe fiet ut plures absque hoc sacramento moriantur. In iis vero qui tantum ex pietate vel caritate tenentur curare ut aegroti inungantur, haec dilatio gravis erit, non tam ratione extremae unctionis, quam ratione poenitentiae et Viatici, quae plerumque in praxi cum ea simul conferuntur aut omittuntur : nam, cum ipse aegrotus non teneatur sub gravi extremam unctionem accipere (n. 424), non videntur alii ex caritate vel pietate graviter obligati ad eam ipsi, et quidem tempore opportuno, procurandam.

Evidenter extrema unctio dari nequit ei qui jam mortuus sit. Sed cavendum ne nimis festinanter pronuntietur infirmum jam animam exhalasse. Etenim difficile est, praesertim iis qui in arte medica imperiti sunt, certo agnoscere num jam exspiraverit qui brevi antea adhuc signa vitae edebat et in quo proinde nondum apparet rigor cadavericus vel initium putredinis : quae sola videntur medicis (Capellm. p. 182 seqq.) prorsus certa mortis signa. Ita apparens cessatio functionum cerebri vel respirationis suspensio quandoque non impedit quominus vita remaneat ; neque omnis errandi formido abest medicis dum auscultatione praecordiali videntur sibi percipere quemlibet cordis motum cessasse. (Béclard, op. cit II. p. 729) Quare, ubi non est timendus contemptus sacramentorum in adstantibus, praestabit inungere eum qui brevi antea exspirasse videtur, potissimum si nullus medicus mortuum esse testatus fuerit.

Nullatenus in subjecto extremae unctionis requiritur, ut jam S. Communionem receperit : haec enim perfectiorem discretionem hodie postulat (n. 211) ; quicumque vero poenitentiam recipere possunt, etiam, capaces sunt extremae unctionis, quae nihil aliud est quam poenitentiae complementum. Quare consuetudo eam denegandi pueris, tamquam abusus, extirpanda est. (Bened. XIV, de Syn. l. 8. c. 6. n. 2) (1)

(1) In locis Missionum notandum S. C. de Prop. F. 20. Febr. 1801 (Coll. P. F. n. 1156) „ Affirmative „ respondisse huic quaesito : " Quandoque missionarii obvium habent quemdam phitisi aliove morbo laborantem qui, duce experientia,

423. II. Extrema unctio danda est iis omnibus in quibus praedictae condiciones verificantur, etiamsi in amentiam inciderint vel delirent vel sensibus destituantur, dummodo nullum sit periculum ut contra reverentiam sacramenti aliquid faciant dum inungantur, et illud antea petierint vel verisimiliter petiissent. (Rit. Rom. l. c. nn. 6 et 7) Talis autem voluntas habitualis supponenda est in omnibus catholicis (n. 126), donec de contrario constet.

Idem sacramentum denegandum est "impoenitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur et excommunicatis." (Rit. Rom. l. c. n. 8) Probabilius tamen non est denegandum iis qui in actu peccati, ex. gr. ex vulnere in duello accepto, sensibus destituuntur (La Croix, l. 6. p. 2. n. 2110); immo neque iis qui usque ad sensuum destitutionem, sacramenta respuerunt. (Ball. P. n. 32) Par enim ratio pro utrisque urget: nam cum aliqua verisimilitudine praesumi potest eos internum contritionis actum elicuisse. Attamen ab iis qui sacramenta respuerunt inungendis saepe abstinendum erit, donec aliquod poenitentiae signum dederint: quia ipsos antea inungere, praesertim multis id rescientibus, facile cedet in contemptum sacramentorum.

Insuper in locis Missionum attendenda sunt responsa S. Inqu. 10 Maii 1703 et 10 Apr. 1861 (Coll. P. F. nn. 1155 et 1158): "Non conferendum sacramentum extremae unctionis illis neophytis moribundis, quos missionarius capaces baptismi credidit, nisi saltem habeant aliquam intentionem recipiendi sacram unctionem, in beneficium animae pro mortis tempore ordinatam." Haec tamen intentio, in eo qui vult christiane mori, valde imperfectam hujus sacramenti notitiam requirere videtur, ut liquet ex iis quae de pueris dicta sunt.

III. "In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit; ut si, cum infirmus convaluerit iterum in periculum mortis incidat," (Rit. Rom. l. c. n. 14) Hinc patet:

a) Extremam unctionem iterari posse in diversis infirmitatibus, vid. si infirmi convaluerint et iterum in aliud simile vitae discrimen inciderint, ut loquitur Trid. (Sess. 14. de Extr. Unct. c. 3)

b) Eam iterari posse etiam in eadem infirmitate, si haec diuturna est puta phthisis vel hydropisis, et infirmus, postquam mortis periculum evasit, iterum in similem statum per eandem infirmitatem reducitur: "quia jam est quasi alius infirmitatis status, quamvis non sit alia infir-

plures adhuc menses victurus est, sed intra annum morietur: quaeritur num in tali casu possit missionarius ei ministrare Viaticum et extremam unctionem, propterea quod, quando reapse instabit tempus ea recipiendi, missionarius in eodem loco adesse non poterit, sive ob magnam distantiam, sive ob aliud impedimentum."

mitas simpliciter." (S. Th. Suppl. q. 33. a. 2) Igitur necesse est ut saltem probabiliter judicetur infirmum e mortis periculo exiisse: quod generatim satis constare non poterit nisi per notabile tempus, puta per mensem, non autem per quattuor vel quinque dies, melius habuerit. (S. Alph. n. 715) In dubio autem utrum aliud an idem sit mortis periculum, suadet Bened. XIV (l. c. c. 8. n. 4) ut parochus potius in iterationem propendeat, cum haec conformior sit veteri Ecclesiae consuetudini et aegroti favorabilior. Addi potest haec ratio, e natura sacramenti hujus desumpta: ubi tempus sat notabile effluxit, facile committi potuisse ab aegroti nova peccata quae remittenda sint vel quorum reliquiae ejus animae periculum in supremo agone creare queant.

424. IV. Probabilius nulla datur per se gravis obligatio recipiendi extremam unctionem. Ita S. Th. Suppl. q. 29. a. 3. ad 1; Suar. q. 44. sect. 1 et communis Theol. sententia. Etenim inefficacia videntur argumenta quibus aliqui AA. hanc gravem obligationem probare conati sunt. Videlicet:

1^o Urgent verba S. Jac. (l. c.): *Inducant presbyteros*, quasi praecceptum efferant. Sed haec optime de consilio intellegi possunt, perinde ac quae immediate praecedunt: "Tristatur aliquis vestrum? Oret. Aequo animo est? Psallat."

2^o Allegant praxim Ecclesiae, valde sollicitae ut nullus fidelium absque s. unctione moriatur. Verum sic probatur tantum cura Ecclesiae, ne fideles tanto subsidio in articulo mortis priventur; si daretur stricta obligatio, Ecclesia eam jam saepius scripta lege proposuisset.

3^o Arguunt ex caritate quam sibi quisque debeat, et quam graviter violent qui se tam utili subsidio in mortis discrimine privent. Sed, prout dictum est de confirmatione (n. 164), hoc subsidium, quamquam pretiosissimum est, ideoque summopere commendandum, non est tamen simpliciter necessarium ad tentationes vincendas et aeternam felicitatem consequendam. Jamvero ex caritate sui ipsius quisque sub gravi tenetur tantum adhibere ea media quae sunt stricte necessaria ad salutem.

Quandoque per accidens gravis obligatio hujus sacramenti suscipiendi oriri potest, praesertim dupliciter: a) Ratione scandali, quo alii inducerentur ad hoc sacramentum nihili faciendum, ex. gr. si parochus, cui omnis opportunitas oblata esset, illud recipere detrectaret. — b) Ratione contemptus, ut diserte edicit Trid. (Sess. 14. de Extr. Unct. c. 3) Sed adverte non contemni sacramentum nisi ab iis qui illud parvi faciant: id autem non contingit omnibus qui illud neglegunt, ex. gr. ob aliquam repugnantiam.

Qui, ob meram negligentiam, extremam unctionem suscipere omittat, leviter contra caritatem sui delinquere videtur, quia sine ulla justa causa seipsum tam utili subsidio in tanto salutis discrimine privat.